

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Simonius Andreas Hecht

**Disputationum Politicarum Septima, De Reipublicae Divisione: Ubi Et peri tou  
chriou, seu de Maiestate, huiusq[ue] iuribus**

Rostochi[i]: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729451518>

Druck Freier  Zugang



I.ae. Simoniis, Johannes  
Resp. Hecht, Andreas

R. M. phil 1623.




O. M. V. D.  
Disputationum Politicarum  
*SEPTIMA,*  
DE  
**R E I P U B L I C A**  
D I V I S I O N E : U B I E T  
*rei regis, seu de Majestate, hujusq;  
juribus:*

quam, in  
*alma ad Balthicum Varnum Universitate,*

*PRÆSIDE*  
**JOANNE SIMONIO M. Rhetorices**  
in eādem P. P.  
defendendam suscipiet

**ANDREAS H E C H T.**

a. d. 28. Junij, loco & horis constitutis.



**ROSTOCHI**

**Excudebat Joachimus Pedanus**  
**ANNO M. DC. XXIII.**

1623

VIRIS

Amplissimo atq; Prudentissimo,

Dn. MARTINO PASCHEN Reipubl:  
Berlinensis Consuli meritissimo, ac Ca-  
meræ Electoralis Brandenburg:  
Advocato dignissimo:

UT ET

Spectatissimo, Virtute, Auctoritate ac  
Gravitate eximiq;

Dn. JOHANNI Vernicen/ Illustris-  
simi Electoris Brandenburgici Aerarij  
Præfecto fidelissimo:

NEC NON  
Præstantissimo Doctissimo.

Dn. ANDREAE Vernicen/ civi Ber-  
linensi Primario:

Dominis, Evergetis, Promotoribus ac Fautoribus  
suis & viternum colendis

hanc disputationem Politicam  
in

Gratitudinis symbolum  
Observantie monumentum.

D. D. D.  
Andreas Hecht  
Reß.



M. O. V. D.  
Disputationum Politicarum

VII.

D E R E I P U B L I C A E  
DIVISIONE, UBI ET ~~ad~~ ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~,  
seu de Majestate: hujusq; juribus:

Respondente  
ANDREA HECHTIO  
Marchico.

Continuatio.

**S**ecendendum nobis superiori disputatione fuit  
à proposito. quod tamen, ut verius fribuscu-  
lum, quam divortium sit, nunc ad Genera-  
lem Reipub. tractationem revertimur: ex ratione  
tum ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ ~~et~~ seu Majestatis, tum etiam alijs eam  
divisuri. hinc ad specialem Reip. explicationem  
et nos convertemus.

THEISIS I.

**T**ustratione quasi quarundum, Rerump., ductu  
auspicijsq; Philosophi, facta, Reipubl., quæ paul-  
lò ante à nobis definita fuit, naturam oculis in-  
tentio-

Z

tentio-

tentioribus in divisione ejus inspiciemus. Quod cum sine cognitione *πῦ πλιτεύματος*, quod & *τὸ κύρος*, Latinis Majestas, vocatur, fieri commodè vix possit: de hac prius agemus.

## II.

Majestatem; quæ dicta est quasi major (*a*) status; definimus summam, & perpetuam & propriam in subditos potestatem humanam (*b*), Legibus solutam: unde & Græcis ἀνεγέρθουσα vocatur.

(*a*) *Tholos. lib. 8. c. 3. n. 4.* alij autem à veneratione eam appellatam volunt, sed ἀκύρως, honor enim majestatem sequitur. *Arnis. lib. 1. de jur. Majest. c. 1. sect. 6.* (*b*) hanc enim hoc loco attendimus.

## III.

Dicimus esse Potestatem, tūm quia hanc major status, tanquam *τὸ κύρος τῆς πολιτείας* (*a*) proprium Politiae, exigit: tūm quia ordo, quem Reipubl. ceu optimè conveniens genus supra assignavimus, ēt *τῷ ἀρχεῖ* (*b*), in impenando maximè eminet.

(*a*) *Aristot. lib. 4. Polit. c. 1.* Rectius igitur Majestas ex potestate, quā ex imperij latitudine estimatur. (*b*) *Aristot. lib. 3. Polit. c. 5. Arnis. lib. 1. Polit. c. 11.*

## IV.

Vocamus summam potestatem: non, quod sit omnibus modis & numeris absoluta: sed quod à nullo homine superiore (*a*) dependeat: quodq; potestatis inferioris cuiusq; fons sit & scaturigo, in tantum, ut, quō supervenerit hæc majestas, ea præsente omnes aliæ potestates conticefcant (*c*). Quare & ipsi jus *πειρωγθεδίου* deberi, hinc patet. (*c*)

(*a*) Deus enim solus hanc potestatem proximè antecedit, *CL. Dn. Besoldus lib. 1. Polit. c. 2. tb. 11.* Est igitur hæc potestas succedanea divinæ, *idem tb. 8. un. de & recte divinæ appellations huic potestati tribuuntur idem d. c. tb. 9.* non, ut super-

superbie stimulur ipsi addatur, sed ut potius sui officij, quod à Deo habet, admonetur. Quare Papa Romanus, qui gloriatur se imperium Germanis dedisse, donator fatuus & impudens est, tam liberaliter aliena largiens: quemadmodum de hoc genere monstros pronunciat Attabalba Rex Peruanus teste Benzone, lib. 3. histor. nob. orb. c. 3. (b) Menoch. lib. 2. de Praesum. c. 14. n. 2. ut enim omnes sensus ac motus corporis sunt ab anima: sic ab illo sublimi imperio omnia alia inferiora CL. Dn. Besoldus d. loco th. 26. (c) Clariss. Dn. Besoldus d. loco th. 28. 6. etiam Bocer. de Jurisd. c. 8. n. 80. qui huc distinguunt. (d) Arnisi de jurib. Majest. lib. 1. c. 4. n. 1.

### V.

Indigetamus eandem non solum perpetuam; ut omnes alias administrationes & munera ab eâ secludamus, quæ ad tempus aliquod vel propter ejus, qui potestati huic; de qua dicimus, præst, infantiam, vel absentiam, vel judicij inopiam, vel obitum (a), conferuntur: sed etiam propriam, ut significemus, eam in cives & subditos alterius jurisdictioni subjectos frustra exerceri (b).

(a) sunt enim hi potius summæ potestatis custodes appellandi Dn. Besold. d. c. 2. th. 30. Et 31. (b) Alber. Gentil. diffus. de absolute Regis potest.

### VI.

Deniq; etiam legibus solutam summam Potestatem diximus: quia nec superiorem legibus imperantem recognoscit; nec parem in imperio ferre, & ex sublimiori plenitudine statuere potest, bono publico, contra jus commune. (a). quo respectu tamen eam non modò naturalibus legibus, Gentiumq; jure primævo (b), & contractibus cum subditis initis (c), legibusq; fundamentalibus (d) solutam negamus: verum etiam duobus sepimentis, internè (e) conscientiā, externè (f) pudore vinclatam esse, affirmamus.

(a) Dn. Besold. d. c. 2. th. 36 (b) idem th. 38. (c) idem ibid. th. 47. (d) Obrecht. de Jurisd. 6. n. 78. Mynsing. conf. 24. n. 19. (e) itaq; licet neminem habeat judicem, habebit certè Deum: quod exemplum Netonis liquidissime testatur. facessant ergo ab hac potestate voces illæ vel cogitationes: sic solo sic iubeo, si libet, licet: pietas, pudor, fides, privata bona sunt: Reges,

quā jūbat eāt: ego vita necūg. arbiter: mīa jūicidio est. Ego in omnes: in mō  
nullus. sunt enim tētrz, immanes, Tyrannicæ, abominandæ. (f) Bocerw  
d. c. 2. n. 39.

## VII.

Huic Potestati summæ jura quædam adhærent; quæ &  
jura Majestatis & summi imperij (a) vocantur: collecta  
postea à juris conditoribus & interpretibus (b): quæ in Eccle-  
siastica & Politica dividuntur (c): quæ & nos hīc recensebi-  
mus.

(a) quam imperij majestatem volunt esse Reip: coxam, & perdurare, quām  
diu corpus ejus permanet: & etiam sub interregnis & alterationibus persistere.  
*Dn. Befold. d. c. 2. tb. 3.* Alij bæc jura etiam vocant Regalia Βασιλικæ  
& jura Regni: sed impropriæ. Non solum enim imperatores & Reges, sed &  
populi liberi, alijsq; in rerump. formis, iij, apud quos est summa potestas, ejus-  
modi eminentias habent. *Dn. Befold. lib. 1. Polit. c. 3. tb. 1.* (b) quas eminen-  
tias Gentium magis, quām Civili juri ascribit *CL. Befold. d. c. 3. tb. 2.* (c) à  
*Dn. Befold. d. c. 3. tb. 3.*

## VIII.

Et quidem Ecclesiasticum Majestatis jus esse summæ  
potestatis proprium tot antiqui populi Hebrai, Græci, Ro-  
mani, & alij protestantur: apud quos ijdem, qui Reges, ha-  
buerunt & Sacerdotij munera conjunctim (a): ut taceam  
multorum Imperatorum titulos (b), qui idem docent.

(a) *Tholos. lib. 8. de Rep. c. 2. n. 6. Alexander ab Alex. lib. 2. gen. dier. C. 8.*  
Sic Aristoteles Heroico regno affigat potestatem triplicem, in bello, in sacris,  
in judicijs. *lib. 3. Polit. c. 1. σερπτης inquit, και δικασθε ὁ βασιλεὺς,*  
*καὶ τῶν πολέων τὸν θεοὺς κύριος.* Quod & apud Homerū multis in locis  
videre est: quod scilicet Reges fuerint judges & αὐτοδικοί. Sic anti-  
quissimi Ægyptiorum Reges non minus rerum sacrarum quām civilium curam  
habebant, testibus Diodoro & Justino. Romæ quoq; primi Reges sacerorum quorun-  
dam curam habebant. Et apud Judæos tandem Regno ceptum est Sacerdotium  
jungi. (b) *Ostianiani Augusti, Vespasiani, Trajanii, Septimi Severi & aliorum:*  
*Sueton. invita Aug: Lamprid. in vita Severi Feneſel. de sacerdot. c. 5. Bod. lib.*  
*3. de Republ. c. 8. & Virgilium 3. Aeneid. Rex Anius, rex idem hominum Phæ-*  
*briq;*

bis; Sacerdos. Iesq; & Jurisprudentia definitur divinarum & humana rerum  
notitia.

### IX.

Ad hoc Ecclesiasticum Majestatis jus cum CL. Domino Besoldo referimus 1. esse custodem utriusq; tabulae Decalogi, quæq; in ipsis committuntur, ut blasphemiam, Magiam, Atheismum, Epicureismum & id genus alia, nec non morum vitia severè prohibere & punire (a). 2. in potestate habere exemptiones (b) immunitatesq; Clericorum (c) bonorumq; ad Ecclesias (d) spectantium. 3. omnem Religionis abusum, in præjudicium Reip. tendentem, profligare (e).

(a) c. 3. Polit. th. 5. Est enim summus Magistratus non armaturius, qui corpora tantum pecudum curat, sed Dei vicarius, cuius est, animarum in primis rationem habere, animadversione facta in blasphemos & reliquos. Testantur id exempla 1. Paral. 23. 27. 25. & 26. & 2. Paral. c. 17. 4. 8. 9. Precipiunt id summae Potestati Eloquia Dei Psal. 2. 10. & 82. 6. 1. Timoth. 2. 2. (b) Besold. d. c. 3. th. 6. & th. 10. (c) quories aliquid contra honestatem statum vñ Politicum attentant d. c. 3. th. 9. (d) nec enim hæc bona per religionis consortium egreditur mundum d. c. 3. th. 6. (e) d. c. 5. th. 11. 12. & 13.

### X.

Quartum jus Majestatis Ecclesiastica est, errores licet medijs tollere: utq; pura (a) vigeat religio curare 5. Religioni recte constitutæ (b) legitimè patrocinari: ministros item Ecclesiæ & Scholarum (c) alere & (d) defendere. 6. Ecclesiasticos conventus & concilia convocare, eisq; præsidere (e). 7. judicia Ecclesiastica ordinare (f). 8. Prædia Ecclesiastica, ad usus impios destinata in pios (g) conferre. 9. deniq; armis Religionem adversus externam vim defendere (h).

(a) d. c. 3. th. 13. puritatis autem præcipue notæ sunt, veritas, unitas, cum sacra scriptura confirmatis. (b) Dn. Besold. d. c. 3. th. 25. 26. 27. 28. 29. 30. & 31. (c) d. th. n. 1. ut absq; omni metu, minis, periculo doceant. (d) non autem

Buic ordinis, ut hoc quoq; addam, soli competit ius vocandi ministros, sed cum Ecclesia. Reverendus & CL. Dn. Paulus Tarnobius SS. Theologia D. & P. collega-  
colendus, in tr. de Sacrofando ministerio lib. 1. c. 15. p. 172. ( quanquam casu ex-  
trema necessitatis solum Magistratum orthodoxum vocare & constituere posse  
ministros verbi, idem ex D. Luther probat d. lib. 1. c. 14. p. 152. ) ut nec ius, ce-  
remoniae sine consensu Ecclesie. vel instituendi, vel abrogandi Dn. Besold. d. tb.  
29. n. 1. s. 3. 4. & 5. ( e ) d. c. 3. tb. 21. d. c. 3. tb. 22. quod summae Potestatis  
proprium esse, testantur tot Synodi & ordinaria Concilia, ab Imperatoribus  
solis convocata, Nicenum, à Constantino M. contra Arium, cui 300. Patres;  
Constantinopolitanum, à Theodosio M. contra Macedonium, cui 150. Patres;  
Ephesinum, à Theodosio Minore contra Nestorium, cui 200. interfuerunt;  
Chalcedonense ab Imp. Marciano contra Eutychem iudicatum. ( f ) d. c. 3. tb.  
23. ( g ) d. c. 3. tb. 23. ( h ) d. c. 3. tb. 5.

## XI.

Jura Potestatis summæ Politica sunt aut Majora, in  
quibus Majestatis dignitas, sine pecuniarior commodo, ver-  
satur: aut Minora, in quibus adjumenta quasi quædam  
consistunt, quæ Fiscum adaugent ( a ).

( a ) b. Arnif. lib. 3. de jurib. Majest. c. 1. s. 1.

## XII.

Ex Majoribus sunt hæc: 1. Leges universales condere,  
explicare, abrogare ( a ) 2. creare magistratus ( b ) 3. indicere  
bellum, & inire pacem ( c ) 4. conferre ( d ) dignitates 5.  
non admittere provocationem ( e ). 6. monetam cudere,  
imagine signare, ejusq; valorem & potestatem constituere,  
( f ) 7. cogere subditos, ut vias publicas & muniант & tu-  
tas reddant ( g ).

( a ) Clapm. lib. 1. de arcan. rerum publ. c. 11. & 12. Chockier in disquis. Po-  
lit. c. 4. 9. 13. b. l. ult. C. d. Legibus, & l. 2. 3. novissimè ff. de Origin. jur. l. 2. C.  
de bel. jur. encl. ( b ) sive id sicut in persona propriæ, sive aliâ, potestate hac in-  
struæta, ita ut constitutionem ratihabitio excipiat. Clapm. de arcanis rer. c. 14.  
Arnif. lib. 2. de jur. Majest. c. 4. s. 1. itaq; privatorum consensu non potest alicui  
jurisdicçio aut judicandi potestas tribui l. 3. C. de juriad Bronch. i. misc. aff. 10.  
( c ) Arif. lib. 5. Polit. c. 11. & 7. Pol. c. 6. Nob. 8ff. & l. 1. ff. ad L. Jul. de vi publ.  
Quantum autem majestatis sit in belli indictione positum, fusius tractant Fron-  
tin.

tin. lib. 4. & Reges. de remilit. Referri hue possint exercitia armorum, exercitus conscriptio & similia Arn. lib. 2. de jur. Maj. c. 5. s. 1. 2. (d) v. g. creare Reges, Dukes, Comites, Barones, nobiles: item universitates erigere: creare Doctores, Licentiatos, Magistros, Comites Palatinos, Tabelliones, Notarios, Poetas, item natalibus restituere aliquem, dare veniam atatis, & quæ id genus sunt cætera. (e) hæc enim est certissimum imminentia potestatis signum. (f) ad hoc caput etiam pertinet ratio ponderum, mensurarum, modiorum, ultimarum Tholos. lib. 26. Syntag. c. 2. (g) l. absit q. & ibi Cuiac. C. de privil. dominus Aug. libro II.

### XIII.

In Minoribus, quibus (a) fiscus Majestatis augetur, hodie numerantur Flumina navigabilia: metallicæ fodinæ: jus Forestale (b): Ereptitia (c) Bona: Bona (d) caduca: indicatio Collectarum (e), Tributorum (f), & Vectigalium: (g) item Angariæ, Parangariæ (h), Armandiæ (i).

(a) fiscus hic significat locum, quo pecunia & instrumenta patrimonii Principis reponuntur. (b) Arnis. de jur. Mai. lib. 3. c. 3. s. 6. item c. 5. Forestale autem est locus, ubi fera habitant vel includuntur. Calv. in Lexico juriidico. (c) dicuntur Bona, quæ indignis à Fisco eripiuntur: ut in Majestatis crimine, l. quisquis s; in pr. l. & C. ad L. Jul. Majest. (d) generaliter appellantur, quæ in fisca cadunt ex aliqua cauſa. l. 3. ff. de his, quæ in test. delent. Calv. in Lexico juriidico. His annumerantur Relicta sua herede, τὰ ἀνληγρόμητα l. 1. C. de bon. Sac. lib. 10. item thesauri in terra loco publico absconditi, Boceris de Regal. c. 3. n. 16. & alia de quib. V. Arnis. de jur. Maj. d. lib. c. 6. (e) sive indicatio illarum sic ordinaria: quæ & Canonica dicitur, & anniversaria, l. Omnes 1. C. de indic. lib. 10: sive extraordinaria, aliæ superindictio & superindictio l. un. C. de superin. d. lib. 10. (f) tributum Varro dicit esse omnem censum lib. 5. de Lingua Lat. Tholosano est Pensio, quæ præstat ratione possessionis prædiorum, lib. 3. Syntag. c. 4. n. 6. Græcis Φόρος. (g) Vectigal est, quod pro rebus inventis & eventis publico solvit, Græcis τέλα Thol. d. loco. Hæc autem, ut & collectas, summam potestatem decet exigere solo publicæ utilitatis intuitu, & urgente necessitate v. l. ult. ff. de interd. & releg. (h) Angariæ & Parangariæ dicitur sunt à verbo ἄγγαρεις, i.e. cogo, quod Persicum esse Suidas annotavit. In genere Angariam volunt esse servitutem coactam. Quid autem in jure significat, ut & Parangaria, non una est opinio. Briffonius dicit, Angariam esse, provincialibus militibusq; impositam onerum vobendorum bajulandorum.

v. ne-

vè necessitatēm. *Budaeus Angarios & Parangarios* ait esse in certis locis positos ; & semper in provinçia excubantes. *Hesychius* affirmit Angarios significare τοὺς ἡκαδοχῆς Βασιλικῶν χαριτωφόρους, eos qui regias epistolas alter alteri succedendo ferunt: alijs ἀγγεῖα sunt equorum præstatios ad cursum publicum l. 2. de quib. mū. vel præf. lib. 10. *Cujacius* Angariam definit esse ; qua cursus publicus dispositus est : Parangariam aliò vorum : & utrumque onus transvectione armorum à provincialibus exigi, vel aliâ etiam qualibet necessitate publica. Exigebantur tūm autem plaustra, jumenta, naves, operæ, *Cujac.* in procœm. tit. C. de cursu publico lib. 12. (i) quas dicunt esse officinas publicas, in quibus arma ad usum Reip. fabricantur. *Equin. Baro.*

#### X I V.

Rapuit quidem Ecclesiasticam summam potestatem Papa (a) Romanus ; quem verè pappum dixeris ; & ad se jus utriusq; gladij olim transtulit ; quo & utroq; tyrannicè uititur : sed quæ potestas nec Apostolis data aut concessa , aut mandata est , verum cum sacra scriptura ( quæ presbyteris, ademto in clerum imperio , ministerium ; dominatum Regibus tribuit : Ecclesiæ autem ministros , quorum se servum profitetur Papa , jubet esse mysteriorum dispensatores ) è diámetro pugnat.

(a) quod quibus artibus factum sit, exponit excellentiss. o. cy. aylois  
D. Joachimus Stephani lib. 4. de Juris. c. 3.

#### X V.

Sed videamus, quibus se defendat Præsul Tarpejus armis ? Deridenda essent , quæ exhalat sanguine piorum eōria meretrix Babylonia , nisi cum summa blasphemia essent conjuncta. Dixit Petrus ; suo & reliquorum Apostolorum nomine de Christo domino confessionem editurus (a); Tu es Christus , Filius Dei vivi. Dixit ad Petrum Christus : Tu es Petrus, νὴ Πέτρε Γέλη τὴ πέτρα ὅνεδομήσω με τὴν εὐληγίαν. Quid hoc ad Papanum Papam ? Quatenus, inquit Dominus , tu, Petre, sonas hanc vocem , & profiteris,  
me

me esse Messiam, & Filium Dei , eatenus Tu es ~~mī~~<sup>mī</sup> ~~nō~~<sup>nō</sup>, rū-  
pes, quæ no n̄ evertetur , & super hoc ministerio prædicant-  
dæ de Christo vocis meā Ecclesiam ædificabo.

( a ) Matth. 16.

## X VI.

Quid hoc , iterum iterumq; dico , ad Papanum Pa-  
pam ? Primò Petrus habet hanc confessionem , non à carne  
& sanguine , sed à Patre , qui in cœlis est : Papanus Papa-  
supra Deum se collocat, aut certè huic æqualem se facit, dum  
blasphemè rugit, quod omnia facere possit, ut Deus ( a ). er-  
go nihil habet à Deo : cum par in parem non habeat im-  
perium , si non à Deo , ergo suas blasphemias habet ex Dia-  
bolo.

( a ) c. inter corporalia c. quanto extra de transl. episcop. c. ad Apostol. §. nos  
itaq; , Desent: Et re iudicata in 6. c. satis evidenter dist. 96. c. per Generab. quib;  
fil. legit.

## X V II.

Deinde Christus expressè ad verbum alligat suam Ec-  
clesiam : Papa ad Petrum & hujus successores , ad Pontifices  
Romanos : qui ita sunt Petri successores , ut Diabolus Luci-  
feri: quorum traditiones, negantes Deum , qui emit nos ,  
profitentes mandata hominum , vendentes remissionem  
peccatorum pro pecunia, prohibentes cibos & conjugium ,  
contemnentes dominationem , sunt dogmata descisen-  
tium à fide , attendentium spiritibus impostoribus & do-  
ctrinis dæmoniorum ( a ).

( a ) 1. Timoth. 4, 1. vide plura 2. Pet. 2, 17. v. 1. v. 2. v. 3. v. 10. v. 14. v. 15  
in Epist. Judæ 2. Pet. 2. v. 17.

## X VII.

Ejusdem sunt precij, quibus Papanus Papā sibi brachitum  
arrogat immensum illud seculare in omnia regna extensum.  
Quām enim blasphemum est, quod se Deum esse Papa ( a ) e-  
ructat ?

Aa

ad Roma

cunctat? quod Bonifacius; verius Malifacius; scriptum alii  
rubi (b) reliquit, sibi esse datam divinam potestatem à Christo,  
cujus ipse vicarius sit: deq; necessitate salutis credendum  
esse, Papæ Romano creaturam omnem subesse? hincq; il-  
lam suam abominandam παραβολέισαν extruxit?

(a) *dissimilat p. c. satis.* (b) *c. unam sanctam exi: com: de major & obid.*

## XIX.

Quid verò huic suo furori Papicolæ prætendunt? aut,  
quibus documentis scenicam istam Bonifacij, meretriciam  
quæ hypocrisie palliare poterunt, cum ense accinctus & co-  
rona imperiali coronatus prodiret aliquando, de se ipso  
præconis hanc venalem vocem, verè Papasellus, emittens?  
en vobis Cæsarem & Pontificem!

(a) *Paralip. Ursberg. Cyprianiana in vita Albert.*

## XX.

Donationem, si Cerbero Romano placet, Constanti-  
ni quandam in medium adducunt; Helenam sanè suam,  
pro qua non decennale, sed tot secula nunc cruentissima  
bella gerunt: verum tamen fictam & piétam. Est enim  
istud commentum & ἀνθρώπες, ex Utopia allatum: & ἀνθρά-  
κον, à testimonio tot clarorum virorum, qui res Constan-  
tiniliteris consignarunt (a), & à sensibus ipsis abhorrens:  
& ἀδυνάτον, quippe cum Constantinus paullò, ante obitum,  
regni divisione inter filios facta, Primo occidentem, Se-  
cundo Orientem, Tertio interjectam regionem assignarit  
(b): ex quo factum, ut non tantum Italiae, verum etiam ur-  
bis Romæ imperium penes Constantini successores per mul-  
tos annos (c) remanserit.

(a) *quales sunt Socrates, Theodor: Ruffinus, Ebagrius, Paulus Diaconus, Orosius.* (c) *aug. ad A. C. 401, quo tempore imperium occidentis ceptum est*

*yexari*

vexari à Gotthis, Romaq; Duce Alarico anno 410. capta. Bucholcerus in Isagoge  
Chronologica.

### XXI.

Quæ tot mendacia cùm isti tám splendido suo menda-  
cio, præ dominandi stupiditate, non videant inesse: tum  
verò oestro perciti non intelligunt, se ἀναστάθη evomere,  
& quibus ipsi sibi contradicant. Testantur historiæ (a),  
Constantinum M. Nicomediæ, anno imperij 31. baptisatum  
& mortuum: ex quibus illud anno imperij ipsius septimo,  
utrumq; autem Romæ factum, illi comminiscuntur, Quid?  
quod alicubi (b) Sylvestro, alicubi cuiusdam Melchiadis  
(c) tempore, alicubi, à Ludoico Imperatore, Paschali Papæ  
donationem istam factam, improbè & impudenter glori-  
antur? Quid verò firmitatis habebunt hæc ipsa, sibi fidem  
inter se detrahentia, ab ipsis Papanis Papicolis prolatæ?

(a) Euseb. d. lib. 4. & Ruffinus lib. 1. c. 11. (b) c. Constantinus 13. & 14.  
distinct. 56. (c) c. futuram c. 12. q. 1. (d) Volaterranus lib. 3. Geog. ubi me-  
minit instrumenti in Bibliotheca Vaticana reperti, quo id doceatur. (e) l. 14.  
C. de fid. Instrum.

### XXII.

Sed horrendis istis nugis, quæ & ab alijs luculentissimè  
(a) demonstratae & refutatae sunt, missis factis: quomodo  
ex summo imperio divisio Rerump educi possit, indicabi-  
mus. Nam cum negari non possit, id, quod Principatum  
in civitate obtinet, seu τὸ κύρος, esse posse vel penes unum,  
vel plures, eosq; vel paucos, vel multos: hinc opinor patē-  
re, tot quoq; dari posse Rerump. formas; Unam quæ ab u-  
no: Alteram, quæ à paucis, Tertiam, quæ à multis rega-  
tur (b).

(a) ut à Dño Lutherò passim. Hunn. de Eccl. Falmino bruto, &c. in libro cui  
titulus, Stadliche aufführung / etc. sampt einer Vorrede B. Ludw.  
wig / Herzogen zu Witemberg / impresso Tubinge An. 1583. (b) Ari-  
stot. lib. 5. Polit. c. 4.

A a 2

Rur-

### XXIII.

Rursus, cum in domo res ita se habeat, ut in Herili imperio Dominus primò suam (a), in Paterno pater eorum utilitatem primariò (b) spectet quibus præst: idem fieri in illis, qui; sive is unus sit, sive plures, sive multi; Reip. cum summa potestate præsunt; res docet: ut alij quærant suum commodum, alij bonum publicum. Unde subdivisio existit Rerump. ut aliæ sint Rectæ & laudabiles: Aliæ obliquæ, vitiosæ, exerrantes.

(a) deinde per accidens servi salutem. (b) δευτέρας suam, quatenus sc. est in illa societate.

### XXIV.

In quibus constituendis ut suum cuiq; tribuamus; tum ex domo iterum, tum ex divisione justi accersenda erunt subsidia.

### XXV.

Principiò enim in domo diversæ administrationes reperiuntur. Etenim Pater reliquos domesticos, exceptis servis, ceu αὐληράτως, sed placidus tamèn & benignus pater regit: servis δε σωματικῶς imperat. Maritus & uxor, personæ in gubernatione domestica primariæ, secundum virtutem ex æquo agunt: Quod si hinc aberratur, ut aut uxor marito, aut hic illi in omnibus, imperet; ad pauciores quasi regimen recidit. Deniq; in fraterna societate, parentibus defunctis, hereditatis æqualis est inter omnes communio. quod si nemo audit alterum, confusionem ibi esse necesse est (a).

(a) Aristot. lib. 8. Eth. c. 7. & 9.

### XXVI.

Pari modo τὸ κύριον, à diversis administratur: idq; diversimodè i. laudabiter ab Uno, si is amicitia paternâ erga subdi-

subditos sit affectus (a): quæ administratio Monarchia appellatur. Vitiosè ab eodem, si aut nihil aut perparum loci est amicitia inter ipsum (b) & cives; cum is suo commodo omnia (c) metiat: quæ est Tyrannis. 2. laudabiliter à Pluribus, si ijdem virtute omnia gubernent, eodemq; modo jus inter se constituant: & dicitur Aristocracia. Vitiosè ab ijsdem, si pauci, virtute relicta, omnia ad se rapiant, & cæteri tanquam fistula inflatae, sonum edant: quæ Oligarchia est. 3. laudabiliter à Multis, si communitatis ratio inter virtute, censu, libertate æquales habeatur: & nominatur Politia. Vitiosè: si ad tenuiores multos, virtutis rudes, deveniat majestas; & indigetur Democratia (d). Quæ & simplices dicuntur Formæ, respectu habito ad id, cum insentur.

(a) πάτερ. ἀλλὰ οὐκέτη η βασιλεία εἶναι, inquit Philos. lib. 8. Eth. c. 9. (b) est enim nihil inter ipsos commune. (c) ut enim Rex est αὐτορχῆς: sic tyrannus contrario modo se habet (d) quæ vox tamen vulgo laudabilem reipubl. formam significat.

## X X V I I .

Alterum datæ subdivisionis, quasi fulcrum est in distinctione justi: quod vel Perfectè justum est, ut virtus cum prudentia: vel Imperfectè tale, ut opes & libertas. Ex quibus verè justum, fundamentum est trium Rectarum formarum Reipublicæ: justum deductum ex opibus fons est Oligarchiæ (a): à Libertate, Democratiæ (b). Nam Tyrannis nullum fundamentum habet, nisi injustitiam.

(a) Dibites enim hoc habent pro fundamento: justum est, præstantiero plura majoraq; tribui præstantioribus; pauciora minoraq; minus præstantibus. Arist. lib. 3. Polit. c. 6. (b) pauperes justum esse putant: equalia aequalibus dari: & plures præferantur in aequalitate paucioribus. Aristot. ibid.

## X X V I I I .

Demonstravimus, Formas Reipubl. rectè esse divi-

A 3

fas.

fas. Nec tamen, ut Rectis, (a) sic exerrantibus ~~καύειν~~  
debetur (b).

(a) his enim propter virtutem & prudentiam, quæ earum fundamentum  
est, simpliciter summa potestas debetur. (b) Aristot. lib. 5. Polit. c. 7.

### X X I X.

Non Democratiæ 1. quia pauperes, ex decreto summæ  
potestatis injustitia armati, connitentur bona divitum, ad  
se rapere (a). 2. quia Democratia non est ex virtute: perdit  
enim rem (b), quam conservat Virtus. 3. quia pau-  
peres & divites consociavit: at illi laborant hos tollere:  
quare eorum administratio est contra naturam 4. deniq;  
quia imperium pauperum est (c) Tyrannicum.

(a) quia Principatui ita justè placuit: quæ est extrema injuria. Aristot. lib. 3.  
Polit. c. 7. (b) pauperes enim student dissidijs; quibus viae Civitatis solvitur.  
(c) ut enim tyranni, sic pauperes nituntur summò imperio; quod ramen utriq;  
occuparunt Arist. d. c. 7.

### X X X.

Non Oligarchiæ. Nam divites pauci, nacti summam  
potestatem, non solum pari injustitiâ cum multitudine  
pauperum laborant, sed majori etiam (a) infestantur.  
Neq; enim opibus contenti esse solent, sed in corpora  
quoq; & famam subjectæ multitudinis solent esse injurijs.

(a) Συντομῶς τε τὸν τρόπον της οὐρανοφορίας τοῦ θεοῦ περιγράψων εἶναι τὴν ἀξίαν αἰχνῆς Arist. l. 2. Rhet. c. 34. Idem Juvenalis Satyra prima facere docet, ubi quandam Libertum loquentem facit ita: *Vincant divitiae sacro nec cedat honoris Nuper in banc urbem pedibus qui generat alios.*

### X X X I.

Nec obstat, quod utraq; pars præ se fert justum. Utraq;  
enim partim *Φιλωτα* (a) falcinata, partim incuria, ex bo-  
nis suis; quæ, tanquam ebrij res objectas, majora aspiciunt;  
sibi arrogant id, quod, virtutis (b) est: cuius caussa potissi-  
mum.

muni conditæ sunt urbes, & permanent: quâq; præsente  
verè & propriè dicitur civitas. Hæc autem virtus sola, uni-  
cum est personarum æqualitatis & inæqualitatis fundamen-  
tum.

(a) quæ quantum sit malum, docet *Plato lib. 5. de LL.* (b) & sic utraq;  
pars mancum jus pro pleno assert.

### X X XII.

Multò verò minus movemur illorum argutijs, qui nec  
paucis virtute præstantibus, nec multis, nec uni perfectissi-  
ma virtute prædito, asserunt esse τὸ κύρον committendum:  
quod indè contemnus civium, qui honorum redduntur  
expertes: ex contemtu seditiones oriuntur. Esse igitur ad  
hæc tam gravia mala declinanda, τὸ κύρον legibus tribuen-  
dum (a), hominibus auferendum (b).

(a) hæc enim sive afferribus jus æqualiter omnibus dicunt: quibus affer-  
ribus homines sint dediti. *Aristot. lib. 1. Rhet. c. 1.* (b) *Aristot. lib. 3. Po-  
lit. c. 7.*

### X X X III.

Faciunt intelligendo, ut nihil intelligent. Nec enim,  
si legibus summum tribuatur; statim eo ipso inventa est ex-  
acta ratio incommoda illa avertendi. Nam, licet in bona  
Republ. utriusq; imperium est necessarium, Legum & Ma-  
gistratum; Legum quidem in ijsrebus, de quibus loquun-  
tur, & in quibus locum habere possint: Magistratum ve-  
rò eosq;, ut, quò Leges (a) non pertingunt, eò ab ipsis  
ἀείση γνώμη dirigantur (b): Licet, inquam, hæc ita sint:  
tamen, cum Leges ab hominibus condantur, & quidem  
pro cuiusq; Reipubl. statu condantur, ecquis tam obesæ  
erit naris, ut non sentiat, facilimum esse factu, ut in-  
eundem scopum collineent & Leges & harum (c) aucto-  
res (d)?

(a) quia

(a) quia Leges singulæ complecti non possunt. (b) unde Magistratus dicitur Lex loquens Cicero 3. de Legibus. (c) sunt enim homines, quisq; sibi natura amici & suis opinionibus delectantur, ex quo fit, ut non recte judicare possint ea, quae justa bona & præclarata sunt: cum ante conceptio[n]e opinionibus impediatur. Plato 5. de LL. (d) v. g. si Resp. sit Democratica, leges quoq; erunt tales: fin. Oligarchica, & leges erunt Oligarchicæ. at quid interest, siue homines sint Oligarchici, siue leges? Arist. lib. 6. Polit. c. 7.

#### XXXIV.

Nullo verò modo metuendum est: posse in Rectis Republ. gravia illa, quorum paulò ante facta fuit mentio, mala existere: cum, ubiq; optimum publicum (a) spectans, virtus principatum teneat: quod cum de Regno & Aristocratis negari non possit, tum de multitudine in dubium, vocari nullatenus debet.

(a) hunc enim finem intendit natura: hujus conservandæ ergo conditæ sunt civitates, & etiam munitæ: hujus causa homines in conjugio multa incommoda sustinent: huic communi & publico bono semper studuerunt laudissimi Gubernatores; ob id dicti Patres Patriæ, Parentes publici, bases reipublicæ.

#### XXXV.

Est enim extra controversiam; cum meliorum imperii melius (a) sit, in multitudine autem multi sint meliores, qui melius & judicare (b) & in agendo (c) progredi possint; ob eam rem à multis existimatum esse, præstare multitudinem quam paucos.

(a) perinde, ut etenæ collatitiae meliores sunt & lauiores, quia plures conferunt singulas symbolas, que οὐ μόνης δὲ πάντα Philosopho lib. 3 Pol. c. 7. συναγωγὴ Athenæ dicuntur. (b) qua de re etiam supra Disp. 5. thes. 30. facta fuit mentio. (c) collectivæ enim sumti similes sunt homini, si quis esset, cui dati essent præ ceteris multi oculi, multæ manus, multi pedes: hic enim perfectior videbatur communis hominæ, & rectius expediret multa negotia. Arist. lib. 3. Pol. c. 7.

#### XXXVI.

In quo tamen universi populi imperio hæc erit adhibenda

benda cautio: ut magistratus maximi tribuantur bonis vi-  
ris, & præcipue peritis (a): non quibusvis aut singulis, nul-  
lum virtutis sensum (b) habentibus. Plebi autem facultas  
detur ad consultationes, de creandis magistratibus, & ad  
judicia repetundarum accedendi (c).

(a) non habita ratione formæ, magnitudinis, pulchri coloris, aut aliarum  
rerum, ad usum non juvantium; Arist. lib. 3. Polit. c. 8. (b) forent enim inju-  
sti magistratus, quia virtute carent: & imprudentes, quia rerum usu destituuntur.

(c) Arist. lib. 1. Polit. c. 7.

### XXXVII.

Ut autem hic loquimur de Plebe, non quæ planè est  
stupida, sed quæ audit rationem, & modesta est, & bonis viris  
immixta (a): sic accipimus hic non singulos de populo se-  
orsim, sed collectivè: nec in Politia eum Principem consti-  
tuimus civitatis, qui judicat, sed totum senatum & consen-  
sum judicum, & integrum populum; qui ut virtute, sic sen-  
su superat.

(a) hæc enim mixura, teste Philosopho, constituit elegans temperamentum,  
quo respub. maximè vigeat.

### XXXVIII.

Ex tribus autem Rectis Rerump. formis Monarchia  
videtur esse omnium antiquissima: quod se coniçere ait  
Aristoteles, tūm inde, quod initio, neque pau-  
ci neq; multi, sed unus tantum virtute excellens reperieba-  
tur dignus (b) imperio; tūm inde, quia viri mediocriter bo-  
ni, primis temporibus, cum censerent gratias esse referen-  
das ei, à quo summo aliquo beneficio (c) fuissent affecti, i-  
deoq; imperium ipsi deferebant.

(a) c. 11. lib. 2. Polit. (b) id quod factum dicit Philosophus ob civitatum  
parvitetem ib. (c) v. g. novæ alicujus artis ad vite usum necessariæ inventione  
v. Polydor. Virgil. de rerum inventione.

### XXXIX.

Postea, cum, civitatibus crescentibus, multi virtute  
pares existerent, commune imperium & mutuum, repudia-

Bb

ta

ta unius potestate; cepisse, atq; hanc Aristocratiæ & Politiaæ esse originem, idem affirmat. At cum pauci, virtutis studio omisso, ad opes potius se converterent, enatam hinc Oligarchiam; ex hac Tyrannidem (a): ex Tyrannide Democratiam (b) extitisse, concitata in Tyrannum multitudine.

(a) dum unus aliquis, reliquis paucis oppressis, invasit dominatum, ut Syracuseus Dionysius. (b) præsertim postquam civitates jam maximaæ esse cœperunt, quæ vix ullo alio imperij genere administrari volunt, quam popularis Aristoteles lib. 3. Polit. c. 11.

#### XL.

Cæterum specie differre inter se Rerū p. formas, tūm ex (a) personis, tūm inde quoq; patere vult Aristoteles: quia formales partes civitatis, ut sunt divites, pauperes, nobiles boni mali; ex quarum diversa (b) *οὐλγή* diversæ Reipubl. formæ constituuntur; specie differunt: siquidem divitiae & paupertas, nobilitas, bonitas & malitia specie disparantur. Quæ tamen ratio vapulat, & apud multos Politicos male audit (c).

(a) in quibus requiescit gubernatio summæ potestatis: quibus secundum numerum distinctis temp. quoq; distinguīt necessity est. (b) Sicut enim in animalibus, membrorum, quæ sunt vel sentiendi, vel moyendi instrumenta, differentiæ & conjugationes diversimodè à natura informatæ, species diversas conseruent: ita partium in civitate exuperantia, præstantia, varietas, diversitas copulatio multiplex: distinctas Reipubl. formas gignit. Aristot. lib. 2. Polit. c. 4. (c) v. Dn. Besold, lib. 1. Polit. c. 5. lib. 2. n. 1. 2.

Quæ verò ex Rectis formis sit optima: id ex appellatio-  
ne optimi volunt colligi debere. Optimum enim dicitur  
1. quod simpliciter est optimum; quod votis solum concipi  
potest. 2. quod ijs, quibus convenit, & pro rebus subjectis,  
est optimum; estq; in usu. Semper autem Aristocratiam,  
& simpliciter & comparatè optimam, & utiliorem, civita-  
tibus esse Regno & Politia: esseq; meliorem, affirmat (a)  
Aristoteles ab Aristocracia verò ubi discedit, Regno (b) seu  
Monar-

Monar-

Monarchiæ simpliciter primas tribuit. Sed cum & Aristocracia & Monarchia raro tales inveniantur: Eam generaliter dicit civitatem esse optimam, quæ sit ex medijs (c) civibus composita.

(a) Rarissimè vero multos bonos reperi; paucos quoq; non ita sapè: idem ait lib. 3. Polit. c. 1. (b) Hæc rarer loqui videtur Aristotle, cum Regium statum dicte optimum lib. 3. Polit. c. 4. vide Casum ib. Gapite autem nono ejusdem libri Aristotle Regem inter cives, Deum inter homines judicat. (c) Medij cives dicuntur quatuor modis: ut qui inter virtutem & vitium; aut inter honorem & ignominiam; aut qui inter nimiam rerum & copiam & paucitatem; aut qui inter libertatem & servitatem, rationis medium & præscriptum tenent. Casus lib. 4. Sphæra Polit. c. 11.

### XLII.

Verum haec pluribus persequi nolumus. Sufficit nobis probasse, & rectè esse divisam Rempublicam: & laudabilibus Formis competere τὸ κορυφὴν; Exerrantibus vero minimè: quod hac disputatione facere proposueramus.

### Quæstio I.

*Estne concedendum, ut, qui dives est aut nobilis, aut forma corporis excellens, cum eo qui virtutibus excellit, de imperio contendat?*

Absurdum id esse, Philosophus afferit. Nec enim, quemadmodum pulcher cum divite, ita & res. i. pulchritudo cum divitijs comparari potest. Sunt enim res toto genere distantes. quas comparare velle & absurdum esse & ἀδύνατον, ait idem lib. 10. Metaphys.

### Quæstio II.

*Atqui tamen ipse Philosophus affirmat, posse, eos quæ sunt civitatis partes, de honoribus contendere.*

Consideramus Rempubl. vel quò ad esse, vel quò ad bene esse: & distinguimus inter pares aliqua in re, & pares in omnibus. Quod ergo

ergò ad esse Civitatis attinet; possunt divites & ingenui cum virtute præditis contendere de honoribus: quia sine Divitibus & ingenuis Civitas planè esse non potest: & sic sunt in summis civitatis partibus. Verum, quod ad benē esse Civitatis, cuius sola effectrix est virtus, si hac divites destituantur, non posse eos cum virtute præditis in certamen honorum descendere, paulo antē probatum fuit. Vehementer igitur in eo peccant Divites & ingenui, & hanc quoque causam, quod, cum uno tantum jure nitantur, & una tantum aliqua re sint pares alijs, tamen ita agant, ac si optimo jure nitantur, & quasi in omnibus rebus sint pares. Contendant sanè ad hoc divites & ingenui, ut sit Civitas: nam ad tributa conferenda est opus Divitibus; & Civitas est Liberorum: ut autem benē beataque vivatur, ut beata sit civitas, sola contendat Virtus.


### Quæstio III.

#### *Eftnè in Legibus scribendis hujus aut illius ordinatio habenda?*

Nullius hominis privati, cujuscunq; conditionis sit, commodum, sed commune Reip, bonum, quod omnibus conducat civibus, spectare debent Leges Rectas enim leges scribere volenti rectum debet esse propositum. Bonum autem commune est rectum: primum vero, quod huic aut illi tantum ordini conduit.

### Parerga.

1. *Risus, quem Irati interdum rident, non est propriè risus.*
2. *Ut falsa sunt maria, ita congelantur tempore hyberno.*
3. *Tam lætitia; quam Tristitia ingens occidere potest hominem.*



Ad ornatisimum

D N. RESPONDENTEM.

D Ignis in toto  $\mathcal{E}$  nil est præstantius orbe,  
Quam bona communis velle juvare fori.  
Publica sic etiam res jure beata putatur,  
Si regat hanc sapiens turba, dolisq; carens.  
Sic olim crevit Romana potentia calo,  
Totoq; Egregium claruit orbe decus:  
Cum ceßere togis horrentia protinus armis:  
Cum, Cicero, nomen floruit urbetuum.  
Tunc justi  $\mathcal{E}$  pacis Roma Respub. dono  
Floruit, atq; caput totius orbis erat.  
Sed cum civilis discordia vincula rupit,  
Et civile magis serpsit in urbe malum.  
Ecce cadit subitis Romana gloria gentis  
Fluctibus, ut docta est mota corona foro.  
Navita si planè cursu caruisse secundo,  
Si medicus solers forte jubire potest.  
Si possunt epulis  $\mathcal{E}$  corpora sana; valebit  
Publica res doctis sic caruisse viris.  
Ergo procedit recto pede, publica curans  
Commoda, Pierij qui colit arva joli.  
Quis negat Andream, dum rura politica curat,  
Recte agere? aut tristitradere vela noto!

Tu

Tutricas Hechti dispellere perge triconum,  
Quis quiliasq; rudes erue tutus agro,  
Præsidis auxilio Simonij. Adibis honoris  
Ingenio dignos sic aliquando gradus,  
Macte modò ingenio (sic itur ad astra) videbis,  
Ut quondam multâ Clio coronet ope.  
Dum penetrare subis Sophia, decernet honores  
Eusebie meritos, (tu modò fide) tibi.  
Gratulor incæptis: tu non inglorius olim  
Et patriæ fies  decor ipse patris.

gratul. accinit

OTTO VIROVIUS Trept. Pom.




non solum conditum. Sed nobile





Ad ornatissimum  
**DN. RESPONDE**  
**D**ignius in toto  $\mathcal{E}$  nil est prae/  
     Quam bona communis.  
 Publica sic etiam res jure beata pu/  
     Si regat hanc sapiens turba, d  
 Sic olim crevit Romana potentia c  
     Totoqz Egregium claruit orb  
 Cum cessere togis horrentia protinu  
     Cum Cicerio, nomen floruit ur  
 Tunc justi  $\mathcal{E}$  pacis Romae Respub  
     Floruit, atqz caput totius orbis  
 Sed cum civilis discordia vincula  
     Et civile magis serpsit in urbe  
 Ecce cadit subitis Romana gloria g  
     Fluctibus, ut docta est mota c  
 Navita si planè cursu caruisse secun  
     Si medicus solers forte jubire po  
 Si possunt epulis  $\mathcal{E}$  corpora sana;  
     Publica res doctis sic caruisse v  
 Ergo procedit recto pede, publica c  
     Commoda, Pierij qui colit ar  
 Quis negat Andream, dum rura p  
     Recte agere? aut tristitradere.



the scale towards document



re fori...  
 s.  
 348

Tu